



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

XIII. Vt episcopus quem viderit de clericis suis ad bonu[m] profectum
te[n]dere, honora[n]di, & magnificandi de rebus ecclesiae licentia[m]
habeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

ANNO
CHRISTI
666.

net ordinem, vt episcopus ab alio episcopo, si indigentiam habuerit, clericum ad ordinandum petat, & accipiat; cur qui in diœcesi sua habet eos, quos pro Dei officio, & suo iuuamine dignos repererit, ad suam principalem ecclesiam non perducatur & habeatur? Pro huius rei causa hoc elegit vnanimitas nostra, vt omnes episcopos prouinciæ nostræ, si voluerint, de parochianis presbyteris, atque diaconibus, cathedralem sibi in principali ecclesia facere, maneat per omnia licentia. Hi tamen qui fuerint traducti, humilitatem dignam episcopo suo teneant; & eo honore & reuerentia habeantur, & venerentur in cathedrali ecclesia, sicut hi quos constat fuisse ordinatos in ea. Et quamuis ab episcopo suo stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab ecclesiis tamen, in quibus prius consecrati sunt, vel a rebus earum extranei non maneant; sed pontificali electione, presbyteri ipsius ordinatione, presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretionem prioris presbyteri victum & vestitum rationabiliter illi ministretur, vt non egeat: aut si quæsierit qui ordinatur, stipendium a suo presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere expetat. Clericis vero, vel quos ad seruiendum ei dederit, per discretionis modum quæ necessaria sunt ministret. Si quis sententiæ huius ordinem implere distulerit, prout ratio permiserit, excommunicandum se esse nouerit.

XIII.

In ecclesia Dei sancta congregatio clericorum fit non modica: & sunt aliqui, quorum intentio

non pauca est in sancto Dei officio, atque multi quos segnitudo minime perducit ad bonum profectum. Ob hoc ergo sancto huic placuit Concilio, vt quemcumque episcopus ad bonum profectum viderit crescere, per bonam intentionem venerandi, amandi, & honorandi, atque de rebus ecclesie, quod voluerit, illi largiendi habeat potestatem: hæc enim causa & maioribus maiorem præstat gratiam, & minores excitat, vt ad melius tendant. Quidquid ergo bonis largitur per gratiam, ita in ius habeant, vt & remedium ex hoc sentiant, & rem Deo dicatam ad augmentum perducant. Quod si id quod acceperint per suam tepiditatem ad profectum minime perduxerint, aut detrimentum patuerit; episcopus habeat licentiam, sine vilo præiudicio, in iure ecclesie reuocare rem propriam.

XIV.

In sancta Dei ecclesia^p diebus festis pro consuetudine & mercede communicationis tempore a fidelibus pecuniam nouimus poni: pro hoc placuit sancto Concilio hanc rectitudinis ponere regulam, vt quia omni clero communis labor manet in officio sancto, omnibus iuxta meritum ex hoc rependatur vicissitudo. Statuimus in nostris ecclesiis vel ciuitatibus hoc esse seruandum, vt quidquid pecunie a fidelibus in ecclesia fuerit oblatum, fideliter collectum maneat, & conseruatum, & fideliter episcopo præsentetur; qualiter exinde tres partes fiant æquales, vnam episcopus habeat, & alteram presbyteri, & diacones inibi deseruientes consequantur, & inter se, vt dignitas & ordo poposce-
rit,